IOH. GODOFREDI BVCHNERI

CONSILIAR. RVTHENO - PLAVIENS. ET AB ARCHIV. SECRETIOR.
NEC NON
ACAD. CÆSAR. NATVR. CVRIOS. ADIVNCTI

DISSERTATIONES EPISTOLICAE
DE

MEMORABILIBVS VOIGTLANDIAE SVBTERRANEIS

AD
VIRVM EXCELLENTISSIMVM, CONSVLTISSIMVM
ATQVE
DOCTISSIMVM DOMINVM,

DOMINVM FRANCISCVM ERNESTVM BRVCKMANNVM,

PHIL. ET MEDIC. DOCT. ACAD. CÆSAR. NATVR. CVR. ET
SOC. REG. PRVSS. SCIENT. COLLEG. ET PRACTIC.
WOLFFENB. CELEBERRIMVM,

RERVM NATVRALIVM ÆSTIMATORVM SVMMVM, FAVTOREM
ET AMICVM ÆSTIMATISSIMVM.

MDCCXXXXIII.

Dn. Brockes Irrd. Vergn. in GOtt. P. II. p. 591.

Nicht einst die Augen zu erheben,
Auf alle Wunderwerck, die uns in Meng umgeben,
Um uns in ihrer Schönheit Pracht,
Des Schöpfers Weisheit, Lieb und Macht,
Zu dessen Preise vorzustellen;
Ist meiner Meynung nach,
Nicht eine kleine Schmach
Der Göttlichen Vorsehung angethan.
Allein,
Wie ist die Zahl derselben doch so klein,
Die der Natur so herrlichs Schauwerck achten,
Die mannigfaltge Kunst desselbigen betrachten,
Die Pracht derselbigen Machinen überlegen,
Die einen weisen Mann zu GOttes Ruhm bewegen,
Und die in seiner Brust,
So, von Verwundrung als von Lust,
Die allersüssesten Bewegungen erregen.

EPIST. I.

DE

LAPIDIBVS FIGVRATIS

IN

VOIGTLANDIA.

VIR EXCELLENTISSIME ATQVE DOCTISSIME, FAVTOR ET AMICE AESTIMATISSIME.

Lapidum figuratorum varia dantur genera, quorum praecipua recenset *Dn. Lesser in Lithotheol.* §. 304. *seqq.* Ex his autem permulti mihi obvenerunt in Voigtlandia, attentione quadam, ut credo, non indigni; Hincque memorare maxime licet Lapidem ex Elistro fluvio, *Linguæ humanæ* tam accurate referentem figuram, ut vix ovum ovo reperiri queat similius, aliosque *Aurem humanam*, *formam calcei*, *ocreæ*, *pedis humani*, *Cordis*, *Hepatis*, colore subflavo cum striis rubris, venas indicantibus, ac *faciei caninæ* ad vivum exhibentes. Accedunt his etiam *silices sphærici*, *ovales*, *& quadrati*, læves ac politi, a fortiori motu, circumrotatione, trituratione & allisione in alia corpora per alluvionem aquarum forsan in figuram Geometricam redacti atque coacti, ut ita fere crederes, Naturam hic imitari Artem, sicut e contrario alias ordinarie Ars imitatur Naturam, adeoque verissimum omnino, istud *Platonis* is, esse dicterium: *Deus semper geometrica exercet.* Quibus Annumerari quoque merentur *Amygdala* ex Lapidicina Planitziensi, ad visum quidem petrefacta, sed ex medulla Saxorum præcipue crescentia, de quibus *Mylius in Memorab. Saxon. subterran. P. I. p.* 36. uberiora tradit; imprimis vero curiosissime notat, quo magis terræ attigerint superficiem, eo majora quoque fieri, dum vero ad ordinariam excreverint magnitudinem, vegetabilium amygdalorum instar quoque consumi. Conf. etiam *Dn. Brückmanni Thesaur. Brunsvig. subterran. pag.* 32.

Dantur porro aliorum fructuum characteres repræsentantes lapides, veluti *Pisolithi*, Erbsen- und Wickensteine proinde dicti in jam memorata lapicidina Planitziensi, nec non *Fungi*, *Citra*, *Pruna sylvestria* colore perquam naturali, *Castaneæ* item illis præcipue similes, quæ corticæ sunt liberatæ, ac *Fabæ lapideæ*; quorum pariter referendi sunt *Lapides ex variis*,

 uti

uti videtur, *seminibus concreti*, aut si mavis, qui *pilulis medicinalibus* quoad magnitudinem & colorem non absimiles offerunt particulas, ex matrice facile desumendas, proindeque **Pillensteine** vocati, quos lapicidina etiam porrigit Planitziensis. Ad horum vero generationem mihi quædam terræ ibidem succique lapidifici similiter sufficere videtur qualitas atque dispositio, ceu id exempla in casibus similibus aliunde petita, confirmare quoque videntur. Hisque addi porro censentur lapides *Conchi-formes* nec non *Hammonites* Gerana, sive saxi istud genus, ex variis granulis rotundis compositum, & communiter hinc ob aliquam similitudinem **der Roggenstein** dictum, cujus historiam naturalem nobis communicavit *Dn. Brückmann. loc. cit. pag.* 127.

Tandem reperiuntur ultimo loco *lapides Casei- ac ovi-formes*, ut & alii, coloris carnei, admixtis ubique spatiolis albis, quare vulgo **Blatzersteine** audiunt, nec non quidam figuram *frusti saponis*, ad manus lavandas exacte exhibens; ut ita cum quibusdam prædictorum lapidum facili negotio mensam cibis ac fructibus parare, bellariisque instruere, & membra hominis præcipua simul anatomice jucundo quasi spectaculo demonstrare possimus.

Præ his autem lapidibus omnibus palmam maxime tenent isti, qui integram, *humanam* referunt *faciem*, quorum etiam fecit mentionem *Dn. Brückmann. in Epist. Itinerar. LVI.* Nonnulli vero apud me prostant, tam nitide formati, ut crederes fere, sculptoris omnino accessisse manum, vel potius, mutos istos agere debuisse Oratores, siquidem unus Democritum, & alter Heraclitum repræsentare videtur, quare carminis quidam politus artifex, Poetarum more, jocose quidem, sed non sine doctrina, ita in eos lusit:

Weil GOttes Willen, Warnen, Lehren,
Die meisten Menschen nicht mehr hören,
So möchten bey dem Fühllos seyn,
Wohl endlich gar die Steine schreyn.
Ein unverhofter Fund stellt hier von ohngefehr
Zwey solcher kleiner Predger her;
Die Kiesel führen solche Zeichen,
Daß sie zwey alten Weisen gleichen.
Der eine stützt den Kopf auf seine kleine Hand,
Und scheint mit vollem Hals zu lachen
Der Thorheit aller eitlen Sachen,
Womit erfüllet ist das Land;

Und

Und jener hat die beyden Hände
Mit gleichsam seufzenden Gesicht,
Auf seine Brust gelegt, und Himmelwerts gericht,
Als wenn er weinend sich befände,
Daß leider! Menschen sehend blind,
Und härter, als die Steine sind.
Der eine lacht auch wohl, daß er vom Koth der Erden
Gereiniget, nunmehr hier zur Bewundrung steht.
Der weint, daß Menschen sich bemühn vertieft zu werden
Im Schlamm, da mancher untergeht.

Sic etiam variis in locis Dynastiæ Gera notabilis sæpe observata est *petrefactio*, vel potius incrustatio, ubi nimirum aqua terram transiens tophaceam, ad instar salis mitissimi particulas saxeo-margaceas in momento dissolvit, cujus terræ particulæ minimæ ab aqua postea per præcipitationem spontaneam separatæ vegetabilia tandem ambiunt, & tophacea sua materia quasi cooperiunt. Hucque maxime pertinent *Muscus*, aliaque ligna minoris longitudinis, propterea figuram derer Zuckerstengel referentia; ad quam fere rationem integra quoque *Placenta* videtur esse composita.

Non desunt nobis porro *Zoolitho-Dendroides*, sive lapides, qui animalium terrestrium, aëreorum & aquaticorum simulacra, itemque arbuscularum & fruticetorum nitide omnino in summam aspicientium admirationem & oculorum oblectamentum monstrant, cujusmodi interdum inveniuntur prope Posseck & Blanckenberg, ac teste *Volckmanno in Siles. subterran. pag*, 57. eadem quoque exhibet lapis calcarius albus, vel cinereus Geranus, ceu ex adlatis nuper qu busdam mihi etiam constat; de quorum generatione quidam statuunt, ab aquis nonnullos efformari vitriolicis, per fissuras lapidum successive penetrantibus, inibique ejusmodi fruticum ac imaginum figuras delineantibus. *Vid. Paulini* in der Zeitkürtzenden erbaulichen Lust *P. I. n.* 112. it. *Dn. Ritteri Commentat. de Zoolitho-Dendroidis*. Hisque etiam accensendi sunt *Ætites*, sive Adler- und Klappersteine ex montibus Geranis; ex quibus ergo clare satis omnino patet, providam Naturam nunquam non maxime esse otiosam, cumque lapidibus vitam quidem concedere non libuerit, signis tamen atque symbolis egregiis ut eos exornet atque condecoret, absque licet manibus, nihil devitare.

Notatu omnium pariter dignissima diluvii sunt rudera & reliquiæ, tanquam venerandæ antiquitatis vestigia, & S. Scripturæ veritatem probantia testimonia, hincque cum summi Numinis veneratione merito sunt consideranda. Etenim & lapicidinæ, Metalli, arenæ, argillæ, & limi-

fodinæ veritatem Judicii defendunt universalis, utpote quam maxime in iis arguunt *Conchæ petrefactæ* varii generis, imprimis autem *Gryphitæ*, sive Geyer- oder Habicht-Schnecken, Geyer- oder Habichts-Schnabel, in Dynastia Gera repertæ, nec non *Lytophita*, sive Kräuter-Schiefer; ubi in lapide scissili nempe variæ vegetabilium impressorum repræsentantur imagines, scilicet Polypodii, Filicis &c. cujusmodi aliquot locorum deprehenduntur in agris Geranis atque Schönfeldensibus, ut & in lapidicina Planitziensi. Hujus autem delineationis rationem physicam sequentem exponit *Dn. Langius:* Vapor nempe mineralis, lapidem nostrum penetrans, in inclusa herba, ab aquæ diluvii maximi abundante in terram excursione huc adlata, per longius temporis intervallum commorans se continuit, & exinde secundum herbæ figuram lapidi adhæsit, ejusque picturam colore maxime atro notavit & in signivit. Herba ipsa interea, quoad naturam suam minus durabilis, in pulverem redacta, nil nisi terram suam per vapores minerales atro colore imbutam, reliquit, ac secundum positum suum lapidi adspersit, ex altera vero parte impressit; Conf. *Acta Soc. Natur. Curios. Tom. VI. Append. pag.* 145. ubi in fine hæc simul leguntur: *Hic muti clamant lapides, tacentibus cum loquela præditis hominibus. Creaturæ Omnipotentis, quæ tunc in glorificationem Creatoris non adhibebantur, ne sine fine ad fuisse quis credat, pensitationi posteritatis adservatæ sunt. - - - - Hoc ergo studii & indagationis genus non solum jucundum ac docens est, sed etiam gloriam Dei evehit.* Cæterum de Conchis petrefactis perplura etiam in *Thesauro subterran. Duc. Brunsvic.* & alibi in suis scriptis testimonia dedit *Dn. Brückmann.*

Certum igitur quidquod certissimum est, ubivis terrarum in Macrocosmo tot eximia Naturæ existere miracula, omnibus manu paratis artificiis, quibus cum in Technophylacris alias superbire solemus, longe ante ferenda. Ast dolendum sane est, tam paucos horum omnino tangi cura, multosque regionis cujusdam incolas in patria sæpe esse peregrinos, cum tamen benignissimum Numen munera ista cuivis largiter ac sine pretio non solum offerat, sed & per peculiares nos in lapidibus aliisque rebus occurrentes repræsentationes, ceu linguæ usitatum idiotismum, ad eorum contemplationem & inde derivandam invisibilis Dei per opera ejus agnitionem quasi invitare atque alloqui videatur; siquidem ex mente illustr. *Dn. Wolfii in hor. subces. Trim. brum. pag.* 467. *nullum datur corpus naturale, quod non ita pendeat a Deo, ut ex contemplatione ejus singula Dei attributa colligere liceat;* cum quo pariter *S.* consentit *Prosper, Pinacotheca,* inquiens, *est hac rerum universitas, in qua summus Rex atque Opifex Deus,*

suas

ſuas collocavit ſtatuas, quibus publicatur. Unde *S. Auguſtinus* recte etiam in *Pſ. XVI.* de Creaturis affirmat univerſis: *Habent linguam ſuam, & omnia tibi undique reſonant Conditorem, & ipſæ ſpecies Creaturarum voces quædam laudantium ſunt.* Quæ enim quæſo! Summi Numinis potentia, bonitas atque ſapientia, qui tot non ſolum ad uſus varios, ſed & jucunda ſimul creavit, omniaque tam eximie etiam exornavit, ut oculos iisdem ſemper invitet, animumque oblectet? Conſ. *Scriveri præfat. ad Gottholdi* geiſtreiche Andachten.

Minime ergo ſunt culpandi, nec operam perdunt, qui talia ſollicite ſibi colligunt, & in Creatoris omnium Dei admirationem aſſervant. Certiſſimum enim eſt, quod *S Baſilius* hac in cauſa pronuntiat, *Naturæ* inquiens *contemplatio eſt voluptatis cœleſtis veſtibulum, perennis jubilus mentis, porta tranquillitatis animi; Superiorum cum inferis conciliabulum, humanæque felicitatis faſtigium, quod attingens anima e gravi veluti ſuſcitata veterno, lucisque regionem ingreſſa, ſuique oblita, non tam cœleſtis hominis, quam terreſtris Numinis perſonam agere videtur.* Quare multum ſani refert, ut cum acutiſſimo rerum naturalium Interprete *Dn. Brockes* im irrdiſchen Vergnügen in GOTT, *P. IV. pag.* 170. naturæ & artis rite diſcamus diſcernere opera, quæ ambo ingenioſiſſime nempe ſuo ita comparavit more:

Was der Menſchen Seele würcket, heißt man Kunſt und unterſcheidet
Sie von dem, was die Natur wirckt, bereitet, ziert und kleidet,
Als wenn ſonder alle Kunſt, ſonder Zweck, ein Ungefehr,
Von den Wercken der Natur bloß ein blinder Leiter wär.
Dieſer vorgefaßte Wahn ſchadet uns mehr, als man meinet,
Weil dadurch der Menſch allein künſtlich und vernünftig ſcheinet:
So daß er faſt eiferſichtig, kaum mit guten Auge ſieht,
Wann die bildende Natur, ſonder ihn was künſtlich zieht.
Armer Menſch! erwege doch, daß du ſelbſt ſamt deiner Kunſt
Seyſt von der Natur gebildet. Daß bereits in Mutterleibe
Ihre Kunſt die deine gab.
Zieh dich von dem eitlen Ehrgeitz doch mit allen Kräften ab:
Brauche deiner Seelen Kräfte, GOttes Wunder anzuſehn,
Und dadurch in deiner Freude, ſeine Weisheit zu erhöhn.

Cavendum autem præterea maxime eſt, ne luſum Naturæ, quæ vulgi nempe eſt ſententia, hic in cauſa præcipue eſſe putemus, proindeque agens aliquod a Deo in hoc univerſo nobis concipiamus diſtinctum, creaturas corporeas ita modificans. Natura enim eum nihil aliud ſit, quam vis illa & potentia, quam Deus omnium rerum Creator, Creaturis

juxta

juxta leges motus ſe movendi atque conſervandi, indidit, exinde clare ſatis patet, in ſenſu ſtrictiori nullum plane Naturæ dari luſum. Etenim vis iſta eſt reſiſtibilis & in actu ad leges mechanicas adligata. Ecquis ergo ſibi perſuadeat, infantum aut ſimiarum inſtar eam otioſe ludere, vel Pictorem aut ſculptorem, imo Mathematicum & Condimentarium interdum agere? hinc ergo nihil aliud de luſu Naturæ, voce nimirum ita ſemel recepta, hoc in caſu dicere reſtat, niſi delineationem iſtam ex cauſſis ortam & generatam eſſe praeter deliberationem accidentibus, ac per imaginationem hominum deinde ad varias figuras relatam, adeoque luſum Phantaſiæ potius vocandam, ſiquidem raro vel potius nunquam perfecta omnino datur æqualitas. Conf. *Dn. Kundmann. rariora Naturae & artis P. I. p.* 306. quare recte etiam ait *Seneca: Tu Naturæ nomen Deo mutas. Quanto pulchrius, ſi dixeris: Deus hoc aut illud* (per leges nempe motus Creaturis inditas) *fecit*; ſiquidem praeter id in tota ſcriptura ſ. iſtud Naturæ non extat vocabulum, ſed ubique dicitur: Hoc effecit Deus, iſtud fecit Deus, ut illud fieret. Eoque in ſenſu iſtud Poetæ gentilis huc tandem quadrat effatum:

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Cæterum Vige, flore, ſis ſalvus incolumisque, *Vir Excellentiſſime atque Doctiſſime*, quo ſufficias laboribus Tuis doctiſſimis atque laudabilibus, agasque quam feliciſſime ſemper, nec favere deſinas

Dab. Greiz
d. 2. Jan. 1743.

Tibi deditiſſime
I. G. B.

justa leges motus se movendi atque conservandi, indidit, exinde clare satis patet, in sensu strictiori nullum plane Naturæ dari lusum. Etenim vis ista est resistibilis & in actu ad leges mechanicas adligata. Ecquis ergo sibi persuadeat, infantum aut simiarum instar eam otiose ludere, vel Pictorem aut sculptorem, imo Mathematicum & Condimentarium interdum agere? hinc ergo nihil aliud de lusu Naturæ, voce nimirum ita semel recepta, hoc in casu dicere restat, nisi delineationem istam ex caussis ortam & generatam esse praeter deliberationem accidentibus, ac per imaginationem hominum deinde ad varias figuras relatam, adeoque lusum Phantasiæ potius vocandam, siquidem raro vel potius nunquam perfecta omnino datur æqualitas. Conf. *Dn. Kundmann. rariora Naturae & artis P. I. p.* 306. quare recte etiam ait *Seneca: Tu Naturæ nomen Deo mutas. Quanto pulchrius, si dixeris: Deus hoc aut illud* (per leges nempe motus Creaturis inditas) *fecit*; siquidem praeter id in tota scriptura s. istud Naturæ non extat vocabulum, sed ubique dicitur: Hoc effecit Deus, istud fecit Deus, ut illud fieret. Eoque in sensu istud Poetæ gentilis huc tandem quadrat effatum:

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Cæterum Vige, flore, sis salvus incolumisque, *Vir Excellentissime atque Doctissime*, quo sufficias laboribus Tuis doctissimis atque laudabilibus, agasque quam felicissime semper, nec favere desinas

Dab. Greiz
d. 2. Jan. 1743.

Tibi deditissime
I. G. B.